



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt episcopi de parochiis suis sortilegos & maleficos expellant. Cap. i.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. Burchardi

ECCLESIAE VVORMA- ciensis Episcopi, de Incantatoribus & Auguribus, Decretorum Liber X.

ARGUMENTVM LIBRI.

Libro hoc de Incantatoribus, de Auguribus, diuinis, sor-
tilegis, & variis illusionibus diaboli, de maledicis, contē-
tiosis, cōspiratoribus, deq; singulorū pœnitētia tractatur.

Vt Episcopi de parochiis suis sortilegos, & maleficos expellant.

Caput I.

V T episcopi, eorumq; ministri omnibus viri-
bus elaborare studeant, vt perniciosam & à
diabolo inuentam sortilegam & maleficam
artem penitus ex parochiis suis eradicient:
& si aliquem virum aut fœminā huiusmodi

Ex cōcil.

*Anqui-
ren. ca. 1.*

scœleris sectatorē inuene rint, turpiter de honestatum de
parochiis suis eiiciant. Ait enim Apostolus: Hæreticū post
vnam & secundā admonitiōē deuita, sciens quia subuer-
sus est, qui eiusmodi est. Subuersi sunt, & à diabolo capti
tenētur, qui derelicto creatore suo, à diabolo suffragia que-
runt, Et ideo à tali peste mundari debet sancta Ecclesia.
Illud etiā non omittendū, quòd quædam sceleratæ mulie-
res retrò post Satanam conuersæ, dæmonū illusionibus, &
phantasmatibus seductæ, redūt se, & profitentur noctur-
nis horis, cum Diana paganorū dea, vel cum Herodiade &
innumera multitudine mulierum equitare super quasdam
bestias, & multa terrarum spacia intempestæ noctis silen-
tio pertransire, eiusque iussionibus velut dominæ obedi-
re & certis noctibus ad eius seruitiū euocari. Sed vtinam
hæ solæ in perfidia sua perissent, & non multos secum in
infidelitatis interitū pertraxissent. Nam innumera mul-

AA ii

titudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credit, & credendo à recta fide deuiat, & in errore pagano ueritatem reuoluitur, quum aliquid diuinitatis, aut numinis extra unum deum esse arbitratur. Quapropter sacerdotes per Ecclesiam sibi commissas populo omni instantia prædicare debent, ut nouerint hæc omnimodis falsa esse, & non à diuino, sed à maligno spiritu talia phantasmata mentibus infidelium irrogari. Siquidem ipse Satanas, qui transfiguratur in angelum lucis, quum mentem cuiuscunque mulierculæ cepit, & hanc sibi per infidelitatem, & incredulitatem subiugauerit, ilicò transformatur in diuersarum personarum species atque similitudines, & mentem quam captiuam tenet in somnis deludens, modò lata, modò triftis, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per deuia quæq; deducit. Et cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc nõ in animo, sed in corpore euenire operatur. Quis enim non in somnis & nocturnis visionibus extra seipsum educitur, & multa uidet dormiendo, quæ nonquam uiderat uigilando? Quis uerò tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? Cum Ezechiel propheta uisiones domini in spiritu non in corpore uidit. & Ioannes apostolus Apocalypsis sacramenta in spiritu nõ in corpore uidit, & audiuit sicut ipse dicit: statim, inquit, fui in spiritu. Et Paulus non audet se dicere raptum in corpore. Omnibus itaq; publicè annunciandum est, quòd qui talia in his similia credit, fidem perdit, & qui fidem rectam in Deo non habet, hic non est eius, sed illius in quem credit, id est diaboli. Nam de domino nostro scriptum est, Omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo aliquid credit posse fieri aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem nisi ab ipso creatore qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior.

De cultoribus arborum. Cap. II.

Ex regis Gregor. **P**eruenit ad nos quosdam, quod dici nefas est, arborum colere, & multa alia contra Christianam fidem illicita perpetrare: & miramur cur hoc fraternitas uestra distulisset emendare, ultione, distulerit. Propterea scriptis presentibus